



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### Usage guidelines


Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>



21110

G/130

JO. ANTONII  
ASTORII J.C.  
VENETI  
DE DJS  
CABIRIS.

THE HISTORY OF

THE UNITED STATES

OF AMERICA

FROM 1776 TO 1876

BY

WILLIAM F. STANTON

*Loykano Biblioth. Acad.*

2.

*Philol. 158.*

*pica 2.*

JO. ANTONII  
ASTORII J.C.  
VENETI

*Dissertatio*

DE DJS  
CABIRIS.

*Eruditiss. atque Præstantiss. Viro*

JUSTO FONTANINO  
FORO-JULIENSI,

Cardinalis Eminentissimi Josephi Renati  
Imperialis Bibliothecario

D.



VENETIIS, M. DCCIII.

Apud Aloysium Pavinum.

*SUPERIORUM PERMISSU.*



*Eruditiss. atque Præstantissimo*

V I R O

**JUSTO FONTANINO**

Cardinalis Eminentissimi Josephi Rénati  
Imperialis Bibliothecario.

**JO: ANTONIUS ASTORIUS S. P.**



**D** E Djs Cabiris ,  
quorum Sacra apud primos Anti-  
A 3 qui

quitarum prophanarum Scriptores  
fuere silentio religioso præterita ,  
Dissertationem arduam semper ,  
sed institui aliquando dignam , ti-  
bi , Eruditissime , atque Præstan-  
tissime Vir , inscriptam adfero .  
Ea quidem est , quoties ingenii mei  
exilitatem perpendam , quæ de Ju-  
dicio docti Viri subeundo timorem  
ingerat cordi ; quoties tamen Vir-  
tutem tuam ad multiplicem Eru-  
ditionem adjunctam contempler ,  
procul metu amandato , spem opti-  
mam excitet , me tibi displicitu-  
rum undecumque non esse . Uti-  
nam , tot licet litterariis curis ,  
postquam Cardinalis Amplissimi  
proximitatem à Studiis , & me-  
rito nactus es inter cæteros ,  
undequaque distractus , ejus , quod  
Rbi-



*Philologiae studiis impendendum ad  
tui & majorem ornatum, & solatium nobile superest, brevem temporis horam, quod etiam atque etiam rogo, meorum qualicumque lectioni non indignum dare arbitreris. Nil inde profecto in hoc rerum humanarum cursu, mihi contingere poterit optabilius, & quia hoc perexiguum meae erga te observantiae pignus, ac monumentum gratum esse tibi cognoscam, & quod maximi facio, tum demum persuasum habebo, modo non obstet Amor, mihi valde profuturum esse Iudicium tuum. Hoc si pro tua, qua mecum olim, & supra quam de me unquam cogitare possem, in datis ad Clarissim. virum Apostolum Zenum commu-*

*nem Amicum Epistolis fecisti, hu-  
manitate facies, præclarè actum  
mecum existimabo. Vale*

*Venetiis 4. Kal. Octobris 1703.*

**DE**

# DE DJ S<sup>9</sup> CABIRIS.

§. I.

*Ratio Dissertationis . Inscriptio Græca producitur . Ordo in dissertatione servandus .*




Non pauci Antiquorum, quos inter Pausanias, & Dionysius, ea tantum, quæ illis perspecta, & cognita, nec ulla vetabat Religio scribere, ubi de *Cabiris* verba facere necesse fuit, scripto prodenda, quæ autem non fas omnibus videre, nec ab his audire, qui viderunt, ea prætereunda silentio censuere. Varias de illorum naturâ opiniones ex hoc, quod effinxerunt sibi *Mysterium* Scriptores, non iisdem  
exor-

exortas ætatibus , ne eorum multi , qui investigandæ antiquitati dant operam , vanum id conarentur , *Cabirorum* scilicet Historiam , seque suæ ignorantix finibus continerent , nemo non novit effecisse . Illud mihi ipse temperare non possum , quin repræhensurus assurgam , quod quidam de eo , in quo falli facile cunctis judicatum est , inflati opinione suam sententiam adducantur producere , qui postea assentatoribus patefaciunt aures , ne eos errorum suorum non inutilis cognitio ad meliorem eruditionem quærendam compellat . Fateor quidem eorum , quæ hujusce generis Viri tenenda sibi suadent , rationem probabilem reddi posse , & in ipsis non exiguum elucescere Ingenii lumen , sed non talem ordinem adhibent , ut in dissertationibus suis sint omnia apta inter se , & cohærentia , vel ad aliorum approbationem , quibus ea prostant legenda , ubi dissona apud Antiquiores lecta sint . Gravius tamen & verius repræhendendus ego in publicum prodeco , qui hæc effusiones com-

men-

mentariorum admiratus, quæ fiunt ad exprobrationes tantum Eruditorum captandas, & ipse eadem damnata libidine scriptitandi, non consideratè hujusmodi arcana revelanda suscipio, & ea mandanda litteris, quæ non satis adhuc nota sunt. Verum quum attenderint, Amicorum meorum illos quoque veniam duros confido, qui, si me ad Philologiam retulissent, non meas quondam existimarunt honestissime molestias deponi posse, ejus ideo studium improbantes, quod eam non oblectatio sequatur animi, neque requies curarum, nec ea valeat ad benè, beatèque vivendum. Rogatus namque occasione cujusdam Græci antiqui monumenti Aquileja Venetias advecti, quod in ædibus Grimannorum asservatur, & è Velferi Schedis à Grutero pag. 319. 2. relatum est, ut de *Cabiris* aliqua differerem, quum in Antiquitatum studio tunc temporis versarer, id me facturum facilis nimium promisi. Illud est

*Id. Cajus*



*Id. Cajus Caii Filius Acharnensis Sacerdos  
 factus Deorum magnorum Dioscororum Ca-  
 biro.*

*birorum* ; in *Dionysii* , qui fuit post *Liciscum* *Archontis* anno , posuit . Nollem modo dedisse fidem , & id arbitror sanioris fuisse consilii ; sed quoniam promisi , facere aliter ullo modo non possum , & justitiam negligere . Hoc sanè , cur de Diis hisce , eorumque apud Gentes cultu differere constanter institutam , ubi aliis parùm feliciter id tentatum dixerim , declarare mihi opus erat , ne dum fidei totus inservire contenderem , laborare temeritatis vitio minutis Philologis viderer . Promissum igitur servandum est , quæ tamen dicenda mihi , iudicio , arbitrioque meo è fontibus Antiquorum haurire polliceor , illorumque sententiis explosis , qui eruditè hoc aliàs tractarunt argumentum , ad novæ inventionem aditum mihi aperire . Non paucis posthabitis , quæ jam de hac re à Clarissimis Viris publici juris facta cuique Antiquitatis studioso non obvia esse non possunt , mihi tantùm quod propositum est edisseram , eo , prout dabitur , moderamine , ut nec perspicuitas , sicuti nec bre-

Brevitas desideretur . Id quoque placuit Nobilitate pariter ac Ingenio Excellentiss. D. D. Hieronymo Justiniano , & Petro Grimano Patritiis Venetis , nec non Ornatiss. atque Eruditiss. Co: Camillo Silvestrio , Antonio Magliabechio , Nicolao Bon , Laurentio Patasolo , pluribusque aliis mihi amicissimis , quibus cum hæc communicassem , pro immensa sua in me humanitate meos qualescumque conatus probavere , ac ut eos orbi erudito publicarem , tum non pauca remorabantur , vel Epistolis , vel viva voce excitarunt , Sed ad instituta pergamus .



## §. I I.

*Opiniones quædam Antiquorum de  
Cabirorum Natura referuntur.*

**A**C primò, cujus naturæ ii qui eruditum pulverem attigerunt, *Cabirorum* habuerint, nobis dicendum; magna namque inter Litteratos dissensio, eorumque opiniones aliæ diuturnitate extabuere, aliæ cum sæculis, hominumque atatibus inveterare potuerunt. Ex iis igitur, quæ utilitatem generi afferebant humano, & nomine ipsius Dei superstitiosi Gentilium nuncupabant, *Cabiros* plerique arbitrati sunt; eos autem *Penates* fuisse sentiebant, quorum ut Julius Firm. de errore proph. Relig. c. 15. ductum volunt nomen a penu, ab omni scilicet, quo utiliter homines vescuntur ad vitam. Quibusdam illi Virorum crediti sunt, quos assentatio, consuetudoque communis, quodd beneficiis excellentes

lentes essent, consecrabat, & in cœlum tollebat; Verùm Vulcano, & Cabera Protei filia mortales genitos, & ignis usum atque æris, ferrique fabricam deduisse dicebant. Multos eos extitisse spiritus voluere, quorum Potestas major, quam Heroum, & eorum qui ex hominibus Divi facti sunt, primos tamen ex tribus *μαρτυκῶν* spirituum, seu Dæmonum gradibus, quos *Δωαμῆρες* appellant. Demum ex Physica cum tot aliis fluxifse ratione, fabulasque specie indutos humana Poëtis suppeditasse non defuere qui dixerint, vel ideo cum Mystagorum Principe Orpheo Curetes, vel Axierum, Axiocersum, & Axiocersam vocantes cum Mnasea. Cæteris posthabitis, ne longior sim, vanique plenus negotii videar, quatuor hasce tantum sum refellendo sententias, non dicam ineptas, quasi aliquid allaturus ipse sim melius, sed quæ dubitanti quænam illarum sit verior, sunt causa desperanda in hac re omnis veritatis.

## §. III.

## §. III.

*Opinio eorum refellitur, quibus Cabiri iidem ac Penates Dj. Cassius Hemina apud Macrobiū, & Dionysius Halic. notantur. Appellatio Deorum magnorum expenditur. Inscriptionis DENAS Idolis Penatium Deorum appositæ expositio tentatur. Cur Cabiri Penates quoque vocati sint?*

**P**Rimum igitur num *Cabiri* iidem sint, ac *Penates Dj*, expendendum est. Si in Cassii Heminæ ac Dionysii Halic. verba jurandum sit, secus opinari piaculum ducimus; ut enim ille apud Macrob. 3. Saturn. hic in 1. histor. hanc docuere sententiam, ea ducti ratione, quod *Penates* quoque, ut & *Cabiri*, *ἑοὶ μεγάλοι*, *Dei Magni* scilicet appellati sint. Sed ea, quæ tradunt cuncta commentitia

B

viden-

videntur. Nam, quodd *Deos magnos* plerisque alios, aut priores Deos, aut inferiores nominatos legamus, & Deorum alios à *Cabiris* Djs, eosdem cum *Penatibus* esse concedamus necesse erit. Serapidem ergo, qui *Magnus Deus* apud Gruterum pag. 185. dictus est,

---

PRO. SALUTE. IMP. CÆS  
M. AUR. ANTONINI. AUG  
PII. FEL. P. P.  
VOTO. SUSCEPTO  
DEI. MAGNI. SERAPIDIS. &c.

---

Attim, qui *magnus Deus* dicitur Juliano Imp. Or. 5. in Matrem Deorum: Οὐτος μέγας ἡμῶν θεὸς ἐστὶν Ἀττίς, *Magnus Deus ille nobis est Attis*; Dianam Ephesiam, quam cognomento *Magnam* Lucas Act. Apost. c. 19. fuisse refert; Uraniam, seu Venerem Saracenorum nomine *Cubâr*, seu *Cabâr*, quam Georgius Cedrenus in Chronicis, & Eutymius Zygabenus in Panoplia *Magnam* interpretantur; & Geminos *Castores*, qui Dei magni a Coryren-

cýrensisbus appellati sunt , ut ait Pausanias , & in marmore apud Gruterum pag. 89. 9.

CASTORI. ET. POLLUCI. DJS. MAGNIS.  
SULPITIA. Q. SULPITII. F. VOTUM.  
OB. FILIUM. SALUTI. RESTITUTUM.

Eisdem cum *Penatibus Djs* faciemus . Quod tamen cum falsum sit , ubi Romanorum pariter , & Græcorum Religio *Magni* appellationem cuicumq; Deorum legatur passim tribuisse , honoris ergò in omnes , ut & in *Penates Deos* , id factum putandum est , sed per antonomasiam *Cabiros* , *Deos magnos* pronominatos . Legimus ideo alios *Æthnicorum Deos* donatos utique *Magnorum* epitheto , at sua notâ quoque , & vocabulo designatos , ut *Magnus Deus Serapis* , *Magni Dei Castores &c.* eo quòd exigat eorum multitudo discrimen , verùm

B 2 Cabiros

*Cabirus* non ita , quum iis loco ful , & certi nominis , quo appellari sine piaculo non poterant , *Deorum Magnorum* proponen à superstitionis datum fuerit . Hinc ut & in aliis , in Inscriptione græca , quam vidi , legique pluries in Statuario ad D. Marci Venetiis , & quam Cl. Mont-fauconius in Diarii sui Italici c. 3. pag. 43. feliciter transcriptam , atque a mendis , quibus apud Gruterum , & Sponium scatet , quam purgatissimam refert , notatur quemdam Eubulum Demetrii filium Marathonium *Sacerdotem Deorum magnorum factum esse* : ΙΕΡΕΤΣ ΓΕΝΟΜΕΝΟΣ ΤΩΝ ΜΕΓΑΛΩΝ ΘΕΩΝ &c. quæ profectò nil aliud , quàm sacris *Cabirorum* eundem fuisse initiatum innuere videntur . Cur tamen & *Cabiros* eosdem ac *Penates* esse concederem , & in hanc opinionem libens venirem , non adeo levis momenti esset causa ; Horum namque geminis Idolis , quæ in antiquis templis Romæ fas erat cuivis inspicere , epigrammā DENAS appositam Dionys. l. i. histor testatur . Hæc autem ubi sibi *Pe-*  
*nates*

*na*tes videtur significasse, quod Priscos ante inventum P. D. litteram usurpasse dijudicet, ego non aliud indigetare conjectabam, quam Græcum *Δωατορ*, quod *potentes* Latini dicunt, & *Cabirorum* epithetum fuisse constat. Sed in contrariam prius distrahor sententiam ex eo, quod similes quoque eorum imagines in nummis, epigraphe D. PENATES emimente videre contingit: inde quod apud Virgilium *Æneid.* 3. sic *Æneam* audiamus loquentem,

— *feror exul in altum*

*Cum sociis, natoque, Penatibus, & Magnis Djs.*

Unde non idem patet fuisse *Penates*, ac *Magnos Deos*, seu *Cabiros*, sed, ut melius reor, Deos familiæ fuisse *Penates*, & *Magnos Deos* fuisse qui publicè colerentur in Urbe. Et quidem *Penatibus Djs* in interiore ædium recessu, seu penu erigebantur simulachra, & Aræ quoque apud quas sacra fierent; Quorum prius tangunt Menandri apud Harpocrationem versus in voce *Κμρία*:

. B 3 Nū

Νῦν δὲ εἰς γυναικωνίτιν εἰσίονθ' ἦταρ  
 Ἰδὼ παράσιτον τὸν δὲ Διὰ τὸν Κῆσιον  
 ἔχοντα τὸ ταμῆιον ἃ κεκλειμένον;

Idest. *Nunc cum intrantem conclave Mulierum video Parasitum, Jovem verò Ctesium tenentem penum baud obseratam. De Ara liquet ex Æschylo Agamemn.v.1047. apud quem Clytemnestra reducem Argos Agamemnonem una cum Cassandra interiora Regiæ jubet ingredi, eamque* *σαδεῖσαν Κησίῳ βῆμω πέλας; collocatam juxta aram Jovis Ctesii &c.* At non duos Penates, ut Dionysius, quorum nomina tacuit, sed ut quidam Alii apud Macrobi. l.3. Sat. si placet, nomine Jovem, Junonem, & Minervam, tres esse sentiamus. Sint sane. Nullo modo tamen eosdem ac *Deos Magnos*, seu *Cabiro*s efficiunt. Quodd enim Tarquinius Demarathi Corinthii filius Samothraciis religionibus mysticè imbutus (initiabantur autē Gentes *Cabirorum* sacris in Samothracia, ut infra videbimus) uno in templo, ac sub eodem tecto numina memorata coluerit, id sufficiens non est firmandæ fidei



fidei argumentum . Num igitur & Ig-  
dem, ac Osiridem *Cabiros* esse dicemus,  
quòd Cajum Caj Filium Acharnensem sa-  
cris Cabirorum initiatum, ut vidimus §. 1.  
in allata græca Inscriptione, numinibus  
hisce aram appareat ex hoc marmore de-  
dicasse, quod olim in Cymelio Francisci  
Mauroceni Venetiis habebatur, & à  
Stephano la Moyne in Epistola ad Eru-  
ditissimum Virum Gisbertum Cuperum  
de *Melanophoris* emendatum vulgatur?

ΓΑΙΟΣ ΓΑΙΟΥ ΑΧΑΡΝΕΤΣ. ΙΕΡΕΤΣ.  
ΓΕΝΟΜΕΝΟΣ ΕΝ ΤΩ ΙΕΡΕΙΝΑΤΣΙΟΥ.  
ΑΡΧΟΝΤΟΣ. ΕΝΙΑ ΤΤΩΙ ΚΑΙ ΟΙ.  
ΜΕΛΑΝΗΦΟΡΟΙ. ΚΑΙ ΟΙ ΘΕΡΑΠΕΥ-  
ΤΑΙ. ΤΗΕΡ ΤΟΥ ΔΗΜΟΥ ΤΩΝ Α-  
ΘΗΝΑΙΩΝ. ΚΑΙ ΤΟΥ ΔΗΜΟΥ ΤΩΝ  
ΡΩΜΑΙΩΝ. ΙΣΙΔΙ. ΚΑΙ ΟΣ. ΣΤΥΝΙ  
ΔΡΥΣΑΝΤΟ.

hoc est: *Cajus Caj Filius Acharnensis Sa-*  
*cerdos factus in Naufii Archontis anno, &*  
*Melanophori, & Ministri pro Populo Athe-*

nienſium , & Populo Romanorum Iſidi , & Oſiridi ſimul dedicarunt . Profectò ludicra noſtra videretur exercitatio , totaque res nugatoria eſſet . Objicient fortasſe , quod Apollonius ubi de Djs *Cabiris* loquitur , *Δαίμονες ἐνναέρας* eos vocet , quæ verba *Deos indigetes* , ſeu *indicetes* latine ſonant . *Indigetes* namque non , ut Grammatici nugantur , ii ſunt , qui ex hominibus divi facti ſunt , & quaſi in Djs agentes , vel nullius indigi , aut qui indigetari debeant , ſeu invocari , ſed propriè ii , qui Græcis quoque *ἐγχώριοι* , quodd *ibi agant* , & *incolant* , dicti fuere . Ita eſt ; hacque appellatione ab Arnobio Deos hoſce donatos videmus . Et quamquam Salmaſius *Digidios* , ſeu *Igidios* pro *Indigetes* inibi legendum contendat , id nihil obſtare putamus , quodd niſi idem , aliud ſed ejuſdem ſignificationis vocabulum tamen reponat . Quid igitur ? An putant eos eſſe , quos *παρῳες θεες , καὶ κατοιρίδες* Græci faciunt , & Gloſſæ *Penates* ? Hoc tantum evincit , ut & *Penates Deos Magnos* , ita & hos ad honorem

norem *Penates* quoque dictos esse , vel quodd inter *Penates* in Tutelares Familix solitum fuerit eos adoptari, vel quod alicubi , ut in Samothrace tanquam *Dj Patrii* haberentur , sub quorum tutela esset Insula . Ex his , quæ ex Colloquiis G. L. nondum editis refert in Solinum Salmasius pag. 46. sic asserere non dubito : Κέρησι, καὶ Κορύβασι τιμῶν ἔδοξαν ἵνα θεοὶ κατοικίδιοι λέγονται ; *Curetibus* , & *Corybantibus* , seu *Cabiris* , honorem dedit , ut *Dj Penates* dicantur &c. Ac de prima sententia, quod pro mea tenuitate expendi poterat , visum est.



## §. I V.

*Illorum sententia exponitur , & perstringitur , qui asserunt Vulcani filios Cabiros extitisse . Cur Vulcani filii ab Antiquis nuncuparentur ? Vaillantius notatur , & Sequinus arguitur .*

**D**E tribus autem reliquis , ut mihi videtur , latissimè patent ~~ex~~rationes , quibus ad differendum secus ac Alii fecere , in præsentiarum suademur . Si namque priùs studiosè inquiremus , unde plerisque constet *Vulcani* filios extitisse *Cabiros* , hoc dicent ex Poëtarum , & Historicorum Antiquis difficilè factu non probare . Siquidem Pherecydes apud Strab. lib. 10. prodidit ex *Cabera Protei Filia* , & *Vulcano* tres esse procreatos *Cabiros* &c. & Nonnus lib. 14. v. 19. Dionys. cecinit de hisce Djs :

*T'inas*

Υἱέας Ἡφαίστιο δύο θάρηξ Καβείρες

Ὄνομα μητρὸς ἔχοντας ὁμόγνιον.

Idest: *Filios Vulcani duos armavit Cabiros*

*Nomen Matris habentes gentilitium;*

Et infra l. 29.

Θρηκίης δὲ Σάμοιο πυρισθενέες πολιῖται

Λημνιάδος δύο παῖδες ἐβαλχέοντο Καβείροι.

Id. *Thraciæ verò Sami igne validi incolæ*

*Lemniadis duo Filii bacchabantur Cabirî.*

Herodotus autem l. 3. c. 4. *Vulcani* Ido-

lum, quod erat Memphi describens, il-

lud simile fuisse tradit *Idolis Cabirorum*,

quibus ædes inibi loci quoque sacra ha-

bebatur. Dicunt ergo *Cabiros Vulcani*

filios, quod Pherecydes & Nonnus tales

illos effinxerint? Jovis quoque filii nun-

cupati fuere a Poëtis *Æacus, Minos, &*

*Sarpedon*. Num ergo filii Jovis erunt ha-

bendi, ubi secusedoceamur, & eos, ut

ait Gellius l. 15. c. 21. quod præstantissi-

mi essent virtute, ac prudentia Viri,

tales appellati fuerint: uti *Cyclopes,*

*Cercyon, & Lestrygones*, tanquam &

mari geniti, *Neptuni filii*, quod ferocissi-

mi essent, immanes, & alieni ab omni

pror-

prorsus immanitate ? Idem de *Cabirîs* potius dicendum , quòd ignis usum , atque æris , ferrique fabricam docuerint homines , cum ad Idæ montem in Creta habitarent , quod ait Diodorus l. 5. ; ut excellentes in Arte , *Vulcani* filios denominatos , & occasionem inde varia de illis effutiendi desumptam esse a Poëtis . Et quidè , ubi stemus a cordatorum virorum partibus , ac Poëtarum quorumvis scripta vana esse commenta dignoscamus , quid est quod nos impediat ea , quæ certiora , & probabiliora videntur , prudenter sequi , quæve contra improbare ? Hærebimus fortè , ubi quoque Aucthores hos inter se non congruere notemus , eorumque unum tres *Cabiros* , duos alterum commemorare ? Nonne indè potissimum apparet , utrumque mendacio veritatem infuscasse , ac Genus *Cabirorum* , prout libuit , more Poëtarum excogitasse ? Sed quid Herodotum indicasse velint , videamus . Sane *Idola Cabirorum Vulcani* Idolis similia fuisse tradit . Eorum Ideo Parentem *Vulcanum* asse-

asseremus? Et Phænicios Patæcos, quos ad navium tutelas in earum proris Phænicēs circumferebant, fuisse imagini ejusdem *Vulcani* quam simillimos refert l. 5. Patæcos igitur Deos Phænicios, eadem qua *Cabiros* ratione, *Vulcani* filios dicemus? Sed hoc quidem improbatur, quum hæc eorum esset similitudo, forma nimirum, & species utrisque ridicula. Oppositum confirmare dicunt Nummi a Seguino, & Vaillantio vulgari, qui in dextra malleum, unum ex *Cabiris* gerentem exhibent *Vulcani* instar. De hoc nisi testimonium plerique Eruditorum, ad quorum manus ejusmodi nummi venire, perhibuissent, vel imperitorum, vel oculis laborantium commentitiam crederem assertionem; Vaillantius namque in 2. parte Num. Col. latin. pagin. 154. ad Furia Tranquillinae nummum a Carrhenis cūsum, notat in postica ejus pagina Idolum columnæ impositum, quod quia *Cabirum*, & cum Pherecyde *Vulcani* Filium credidit, in dextra malleum gestantem asseruit, ubi ejus  
dextra

dextra arcum , sinistra galeam , vel quodpiam aliud detineri , mihi per communem Amicum Eruditiss. atque Præstantissimus Vir Justus Fontaninus asseveravit , & cuique Ec̃typum Inspicienti quam clarissimè apparet.



Præterquam quod Carrhenis Mesopotamiæ Lunum potius, quam *Cabirum* cultum fuisse refert inter alios in *Caracalla* Spartianus : *Atque inde Carrbas Luni Dei gratia venisset &c.* Sed malleum gerant, & *Vulcani* Idolis quamfimillimi habeantur. Quid inde ? Propterea faciendos *Vulcani* Filios ? Certè Seguinus Select. Num. c. i. n. 7. ad nummum, in cujus altera parte



te est caput turritum Fœmineum cum  
epigraphe ΘΕCΑΛΟΝΙΚΗ, in postica  
verò imago palliata stans, quæ mal-  
leum sinistra gerit cum Inscriptione ΚΑ-  
ΒΕΙΡΟC,



hæc habet: Cogit me malleus iste ab eorum  
stare partibus, qui Cabiros Vulcano, &  
Cabera Protei filia genitor nuncupant &c.  
Quid si hastatos, & gladio præcinctos  
nummi exhiberent, nec Nonnus ipse  
dixisset l. 29.

Χειρὴ δὲ λήμμιον ἔγχος ὥσπερ καὶ πατρίος  
ἀκμῶν

Δεξιτερῇ κέφιζεν. ἐπ' εὐφρείας δὲ μηροῖς

Φάσγανον ἠώρησε σελασφόρον.

hoc est: Manu verò lemmiam bastam, quam  
fabricaverat Paterna Incus,  
Dextra elevavit, ingenioso verò fœmore  
Gladium elevavit splendorem ferentem.

Pro-

Profectò *Vulcano* posthabito , Aliùs Deorum , cui non dissimiles habitu viderentur , eos esse prolem autumarent . At Poëtarum figmenta , & conjecturantium deliria locum habeant . Quì demum *Dioscoros* , & *Vulcani* filios una dici posse contendent ? *Dioscori* sanè in monumento supra relato nuncupantur , eamque vocem latinè *filios Jovis* sonare Grammaticorum nullus ignorat . Mis sis iis , qui propter virtutem , & alia *Dioscori* , seu *filii Jovis* vocati sunt , uti Agamemnon , & Menelaus a Stesichoro , Zethus , & Amphion ab Esychio , Aliique , de quibus jam dictum , ab Eusthatio ad Od. 11. relati , invenio Sponium ( quicquid velit Gallandius in sua ad eundem Epistola τὸ Διοσκόρεος pro Castoribus accipiens , uti & Amasæus in Pausaniæ versione a Fabretto V.C. notatus ) appellationem hanc ad Anubim , & Harpocratem retulisse , licèt Plutarchus narret Anubim , & Harpocratem Osiridis filios extitisse . Et Sponium ipse sequor ; Osiris namque idem ac Jupiter

piter habitus est . At *Vulcanum* , Gen-  
 tilium sequuti Theologiam , nullo mo-  
 do cum Jove ipso confundere possumus,  
 & ex duobus unum effingere Numen,  
 ni cum Phoenicibus *Vulcanum* Διὰ μι-  
 χιον , *Jovem* scilicet *Macbinatorem* , ut  
 vertit Bochartus Phynic. lib. 2. cap. 1.  
 πνευρεχίτλω vocemus . Effugia ne ces-  
 sent querere , & nos hucusque cum  
 ipsis productam disputationem derelin-  
 quamus , pergentes ad cœtera diluen-  
 da .



## §. V.

*Refertur opinio dicentium Demones Δωαμύρες fuisse Cabiros .  
Eadem rejicitur ex Eusebio.*

**R**Em modo cum illis habemus, qui *Cabiros* Demones faciunt, & primos ex tribus μαρτυρῶν spirituum gradibus, quos Δωαμύρες appellant, *magnos* scilicet, & *potentes*, eo quod magna sit eorum potestas ad efficiendum quod jubentur, ubi sint minis laceffiti excantationum. Huic eorum assertioni suffragari videntur Apollonii Scholiastes in *Pace*, Lycophron v. 77. in *Cassandra*, & Nonnus Dionys. l. 13. v. 400. qui Demonibus *Cabiris* antrum Zerynthum nomine, ubi quoque Canes Hecatę immolabantur, sacrum fuisse dixerunt. Accedit quoque quod Porphyrius in libro responsorum, maximum Demonum Serapim ait nominari, qui est apud Ægy-

Ægyptios Osiris , & apud Græcos Pluto , Isidem vero esse Proserpinam , & Hecatē ; Plutonem autem , & Proserpinam *Cabiros* esse tradit Mnaseas , nomine *Axiocersum* , & *Axiocersam* . Facile ipsi suam confirmare sententiam ex eo , quod non minùs ac sacerdotes consueverint adversum Demones, ut ait Jamblicus in mysteriis , adversum *Cabiros* quoque eos invocando fecerint ii , qui in periculis versarentur. In Superos autem , ut idem notat contra Porphyrii opinionem , magicę violentęque voces non dirigantur . Sed contra est quod Eusebius l. i. de prep. Ev. c. 10. narrat ; *Cabirorum* scilicet *ἐρωδὰς incantationes* invenisse . Magos ego potiùs quam Demones dicerem , qui magica & excantationes exercerent , non in quos ea exercerentur , eorum verò mysteriis initiationem non nisi detestabilem Thurgię Disciplinam . De hoc tamen infra.

## §. VI.

*Num Cabiri fluxerint ex Physica  
ratione? Affirmantium sententia  
reprobatur, ejusque futilitas  
ostenditur. Varro notatus.*

**I**llud expendendum restat, num *Cabiri* ex Physica fluxerint ratione, & sub eorundem fabulis rerum causæ involutæ sint ab Antiquis? Hoc utique ex Eusebio l. 3. de præp. Eu. colligitur, scriptum à Porphyrio librum περὶ τῆς ἀλχηγο-  
ρεμένης Ἑλλήνων, καὶ Αἰγυπτίων θεολογίας, *de allegoriis Græcæ, & Ægyptiacæ Theologiae*, in quo multa ille testimonia producit, quibus Stoicorum more ea quæ de Dis fabulosè prodita sunt, ad naturalia referre nitebatur. Julianum quoque in Orat. 5. *ad Deorum Matrem*, audimus dicentem, Antiquos, ubi rerum causas per longam indagationem adepti fuerint, eas ideo occultasse fabulis, ut  
ex

ex absurditate ipsa , & incredibilitate ,  
 cognita commentī falsitas ad investiga-  
 tionem veritatis acueret . Propterea ip-  
 se certè fateor in hanc sententiam Dq-  
 ctissimum Baconium de Verulamio pro-  
 pendisse l. 3. de augmentis scient. c. 13.  
 mysterium scilicet infusum esse veterum  
 fabulis , & Philosophiam secundum pa-  
 rabolas Antiquorum posse comparari .  
 Idem igitur de Cabiris opinari incon-  
 gruum non esset , Eòque magis , quod ,  
 ut ait Cicero l. 1. de natura Deorum ,  
*Samothraciis ( seu Cabirorum mysteriis )*  
*explicatis , & ad rationem revocatis , re-*  
*rum magis natura cognoscitur quam Deorum*  
*&c.* Eos ideo Natalis Comes in sua my-  
 thologia p. 982. ventos ex Orpheo in-  
 terpretatus est , licet namque de Cure-  
 tibus disserat , iidem tamen ac Dj Ca-  
 biri Curetes erant , idque ipse Orpheus  
 videtur innuisse , cum cecinit ,

Οἱ τὴ Σαμοθράκῃ ἱερωὶ χθοναῖα ἰδωρρεῖς  
 Κινδύες, θυγῶν ἀπερύκτερες ποταμῶν .  
 hoc est : *Qui & Samothraciam sacram ter-*  
*ram incolentes ,*

*A periculis mortales Pelago errantes liberatis, &c.*

Illud autem mirandum traditur , *Cabiror* , qui præcipuè in Samothraciâ colebantur , in naufragiis præstantissimos habitos esse ab illis , qui eorum sacris initiati eos invocassent. *Cabiror* itidem cum *Mnasea* Plutonium , *Cerere* , & *Proserpinam* mysticis nominibus appellantes , quidam dixere non aliud quam Terrenam vim , terram ipsam , Et frugum substantiam indicasse . Videatur *Julius Firm.* de errore proph. Relig. c. 18. *Natalis Comes* in sua mythologia de *Plutone* , *Cerere* &c. Verùm ego non a physicis rebus benè atque utiliter inventis tractam fuisse rationem puto ad commentitios , & fictos Deos , quorum omnia traducta ad similitudinem imbecillitatis humanæ & dicta , & credita sunt stultissimè , & plena fuere futilitatis , summæque levitatis . Cum *Eusebio* potius loco citato dicam , quod *Juniores Ethnicorum* , naturalium rerum scientiam jactantes , violenta quadam interpre-



pretatione secreta Naturæ per Theologiam Priscorum significari voluerint, & sic illam erubescences, ac pauci Antiquitatem, atque consuetudinem facientes, quasi remedia turpitudinis Deorum excogitarint. Et quidem Macrobius cum non posset Christianorum argumentis contra fabulas respondere, eas omnes ad physicas nescio quas nugæ torquere conatus est, Græcorum Philosophorum instar, qui cunctas Deorum fabulas in suam sententiam torquebant, credentes summi Numinis veritatem. Fuere Zeno, Cleanthes, & Chrysippus, qui hanc molestiam primi susceperunt, & minimè necessariam, ut ait Cicero de natura Deorum l. 3. commentitiarum scilicet fabularum reddere rationem, & vocabulorum, cur quidque ita potius, quam aliter appellaretur, causas explicare. Hæc autem, & alia hujusce Generis, licet ita defendere conati sint, ut ii, qui ista finxerunt, non modo non insani, sed etiam sapientes viderentur; eos tamen in mul-

tis hæfisse idem Cicero ibidem comperi-  
vit, istamque intelligentiam eorum non  
modo non compræhendere, sedne su-  
spicione quidem attingere potuit. Var-  
ro ipse Samothracum seu *Cabirorum* my-  
steria apud Aug. de Civitate Dei lib. 7.  
cap. 28. interpretaturus, ea, quæ nec suis  
nota erant, se scribendo expositurum,  
eisque missurum quasi Religionem pol-  
licitus est. Dixit autem, se *inibi multis*  
*indiciis collegisse in simulacbris aliud signifi-*  
*care Cælum, aliud Terram, aliud Exem-*  
*plar rerum, quas Plato ideas appellat;*  
*Cælum Jovem, Terram Junonem, Ideas-*  
*que Minervam esse voluit, ( Jovem*  
*namque, Junonem, & Minervam Deos*  
*Cabiros extitisse credebat ) Cælum à quo*  
*fiat aliquid, Terram de qua, Exemplar se-*  
*cundum quod idipsum fiat. Quæ omnia*  
*corruunt; ut enim Augustinus ibidem,*  
*Plato tantam vim ideas illas habere dicit,*  
*ut secundum eas non cælum aliquid fecerit,*  
*sed etiam cælum ipsum factum sit. Jam*  
*verò quid laborare juvat in effingendis,*  
*enodandisque Cabirorum nominibus, &*  
*my-*

mysteriis , eaque ad Naturalia superstiosè referendo , quum longè aliter rem in fabulis se habere , ac Mythologorum opinio sit , præ nostris quoque & Primi Ethnicorum confiteantur . Num censent subtiliore ratione ad vanas hujuscemodi interpretationes rescilendas opus esse ?



## S. VII.

*Quales fuerint Cabiri? Eorum Numerus , & Nomina . Eusebius notatus . Quonam tempore floruerint ?*

**I**Taque aliundè mihi quærendum est ut *Cabiri* , quales fuerint , discere possim , quam quales alii eos esse voluerunt . Videamus quæ l. 10. in *Phocicis* de celebratis per *Amphissenses* sacris initiis tradit *Pausanias* . Hæc ille : Ἀγροὶ δὲ καὶ τελευτῶ οἱ Ἀμφισεῖς Ἀνάκτων καλεμέων παίδων· οἱ τίνες δὲ θεῶν εἰσιν οἱ Ἀνακτεῖς παῖδες, ἃ κατὰ ταυτὰ ἔσιν εἰρημόνων. Ἀλλὰ οἱ μὲν εἶναι Διοσκόρους , οἱ δὲ Κέρητας , οἱ δὲ πλείοντι ἐπίσταται νομίζοντες , Καβείρες λέγουσι &c. id. *Initia quoque celebrant Amphissenses , quæ Anactum puerorum appellant ; Quinam Dj sint Anaetes , variat hominum opinio . Alii Dioscoros , Curetes Alii , qui plus intelligendo*  
*se*

*se assequutos putant , consent esse Cabiros ;*  
 &c. Quid modo l. 3. de natura Deorum  
 dicat Cicero audiamus : Διόσχοροι etiam  
 apud Græcos multis modis nominantur : Pri-  
 mi tres qui appellantur Anaëtes , Athenis  
 ex Jove Rege antiquissimo , & Proserpina  
 nati , Tricopareus , Eubuleus , & Dionysius  
 &c. His præhabitis ad rem nostram ve-  
 niamus . Quod Cabiri Dioscororum Epi-  
 theto donati fuerint nemo ibit inficias ,  
 ubi quæ supra diximus meminerit , &  
 ea quæ Fabrettus ad Columnam Traja-  
 nam habet pererudita , potissimùm ve-  
 rò ex Sanchon. qui ait apud Eusebium  
 lib. i. c. 7. præp. Eu. ἐν τῷ Σούδῳ Διόσχοροι  
 ἢ Καβίροι , ἢ Κορύβαντες , ἢ Σαμοθράκες ,  
 &c. id. Ex Sydic Dioscori , seu Cabiri ,  
 seu Corybantes, seu Samothraces orti sunt &c.  
 Plutarchus in Theseo αὐαντας dictos ait  
 Castorem , & Pollucem , quodd Aphidnis  
 captis Athenas cum pacato exercitu ve-  
 nerint , nihilque aliud quam Eleusiniis  
 imbui desiderarint , sollicitudinem au-  
 tem , & curam , ne quis tanto admissio  
 in Urbem exercitu quicquam mali pa-  
 tere-

teretur , habuerint . Qui namque curam , custodiamque habent , *ἀναχῶς ἔχον* dicuntur . Quod *Cabiri* quoque *Anactes* essent , ex iis , quæ habet Clemens Alex. in Protreptico p. 12. quam latissimè patet ; sacerdotes namque *Corybantum* seu *Cabirorum* *Ἀνακτοτέλας* , sive *Anactum Sacerdotes* , ab iis , quibus curæ vocare est , vocatos tradit . Hæc omnia tamen præ aliis solus poterat nos *Orpheus* edocere , cum cecinit :

*Κερῆτες, κορύβαντες ἀνάκτορες, ἐδιδυματοί τε,*

*Εἷν Σαμοθράκῃ ἀνάκτες, ὅμῃ Διόσκοροι .*

hoc est : *Curetes* , *Corybantes* , *Regia proles* , & valdè potentes ,

*Reges in Samothracia Anactes* , simul & ipsi *Dioscori* , &c.

*Cabiros* ergo tres asserere *Tricopatrem* , *Eubuleum* , & *Dionysium* nihil dubito , quod primò *Dioscori* , & *Anactes* ii vocarentur , præterea quod tres numero extitisse *Cabiros* , eorumque tertium nomine *Dionysium* Idem Clemens Alex. ibidem commemoret . Conveniunt quæ scripsit *Pausanias* quoque in *Laconicis*  
pro-

propè finem libri , ubi de Brasiis Eleuthero-Laconum Oppido loquitur : Καὶ ἐπ' αὐτῇ χαλκοὶ ποδιαίων ἐσῆκασιν οὐ μείζονες πίλῃς ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς ἔχοντες . οὐκ οἶδα ἢ Διοσκῦρες σφαῖς , ἢ Κορύβαντας νομίζουσι . Τρεῖς δ' ἔν ἐσὶ . Id. *In eo sigilla pileata videntur nibilo pedalibus majora , an Dioscûrum , an Corybantum ea nominibus sanxerint , non facile dixerim . Tria certè sunt &c.* Id Tertullianus c. 8. de spectaculis confirmare videtur , hæc tradens : *Tres autem aræ trinis Djs patent ( in circo scilicet Romano ) magnis , potentibus : eosdem Samotbraces existimant .* Ipse Varro etsi lib. 4. de l. l. duos tantum illos agnoscat , cælum , terramque interpretatus , attamen apud Aug. de Civit. Dei l. 7. cap. 28. tres fuisse consentit . Eusebius lib. 2. cap. 5. quinque videtur fecisse *Cabiros* , cum illis nomina fuisse dixerit Baubonem , Dysaulem , Triptolemum , Eumolpum , & Eubulum , sed ex Clementis Proptreptico rem ille transcribens , Orgia Corybantum , seu *Cabirorum* cum Cereris Orgiis confudit ,

ac

ac Terrigenas, seu Terræ filios pro Dioscoris, & Jovis filiis accepit. Præterquam quod quinarium hæc numerus cum iis, quæ dixerat, *tertium* nempe *ab his*, *Cabiris* scilicet, *fratrem interemptum asserunt* &c. pugnare aperte noscimus. Si quærat de illorum temporibus? Isaaci tempore, proximis ante vel post Ogygis diluvium sæculis floruisse, & orbem pervagatos esse, autumarem cum Doctiss. Kippingo Antiquit. Rom. l. 1. c. 3. n. 8. nec absque ratione, quum Argonautæ *Cabirorum* sacris multum temporis ante jam institutis, in Samothracæ Insula initiati sint, ut infra videbimus, eorumque in Colchidem expeditio post Ogygium diluvium Ann. M. 2678. juxta Chronologiam Besoldianam, cui adstipulari non recuso, contigerit.



## §. VIII.

*Magica , & Incantationes Cabir-  
ros exercuisse conjectatur . Idem  
ac Telchines. Tabes Telchino-  
dica . Qua de causa Coryban-  
tes appellati sint ? Magni , ac  
Potentes dicti , & cur ?*

**M**agica , & Incantationes excoluif-  
se elicimus ex Eusebio loco ci-  
tato . Præterea si eosdem ac *Telchines*  
fuisse illos dicamus , uti & quidam apud  
Strab. l. 10. non alios quam maleficum  
genus hominum , præstigiis deditum , &  
solo adspectu omnia effascinantes fatea-  
mur quoque necesse est . Eos autem fa-  
scinatores fuisse ferunt , & maleficos ,  
quoddam stygiam aquam animalibus , &  
stirpibus perniciosi gratia inspergerent ,  
unde calamitates , fames , & pestes  
consequerentur ; cujus sententiæ fuisse  
legi-

legimus Tzezetem hist. 113. Innuit idem l. 6. de fabulosis antiquorum gestis, Diodorus, cum ait : *Incantatores etiam volunt eos fuisse, & tanquam magos nubes, nimbos, grandinem, nivemque inducere, ac mutare proprias formas, quum vellent, solitos &c.* Ab his invidos, & fascinatores vulgò *Telcbines* dictos ajunt Gregorius Nazianzenus, & Synesius; Gregorio autem Palamæ *Tabes Telcbinodica* idem est, ac *Tabes* vultu fascinante, & insidiosè blando illata. Id quoque probatur ut puto ex prænominis illis tributo *Corybantum* ἀπὸ τοῦ Κορυβαρτήριον, quod est *insanire*, *furiis agitari*, vel *numine aspirari*; ii namque, ut ait Strabo l. 10. sacro correpti furore capita in saltando jactabant, aliosque in similem rabiem agebant. Magorum autem, & Ariolorum quis non novit hujus generis potissimas esse affectiones? Profectò ex non sunt nisi quedam Dæmonum participatio, quidquid illas vocarint Gentiles; Honestè namque & speciosè loquentes pro libitu suo vocabula in dixer-

versum finxere , & hoc quod est a Demonibus agitari , Enthusiasma appellare , ut disertè innuit Greg. Nazianz. Orat. 3. advers. Jul. *Magnos* ideo credere dictos esse , ac *potentes* , non ex eo quòd Fratrem occiderint , uti videbimus , quomodo magnum , & potentem Cainum vocatum à Caineis apud Tertullianum cap. 47. adv. Hæret. refertur , quasi quadam virtute potenti conceptum , quæ in ipso operata sit super Abel ; sed ex eo , quod terribilia , & miranda facientes simplicium animos ad magnam de se ipsis opinionem concipiendam captarint . Conveniunt quæ habet Diodorus l. 6. de tabulosis Antiq. gestis , ubi de Idæis Daëtylis , seu *Cabiris* ita loquitur : *In Samothracia vero magnam sui admirationem Incolis præbuere* . Ita de Simone Mago in Act. Ap. cap. 8. nobis legendum se offert , qui se *magnum* prædicabat , & cui Samaritæ Gens propterea quod eam multo tempore magis suis dementasset , auscultabat dicens : *Hæc est Virtus Dei , quæ vocatur*

D ma-

*magna* . Admonet & Gamaliel Judaicę legis Doctor ibidem cap. 5. extitisse *Tbodam* quemdam dicentem se esse alium , addit Gręcus *magnum* , cui & consensit virorum numerus circiter quadringentorum . Apud Scandianos quoque similiter Magis illis evenit , quos Snorro in Annalibus Norveg. pag. 238. , illuc immigrasse narrat ex Asia , ac inter quos *Tbor* nomine vocatum quemdam recenset ab Assyrio *Tbur* vel *Tburra* , quod *potentem* significat . Et quidem Gigantes qui à Mose *bagbiborim* hoc est *potentes* dicti sunt Genes. 6. *banepbelim* quoque vocantur , eamque vocem *magos* , & *incantatores* designare Hornius histor. Philos. lib. 1. cap. 9. ut probabile docet . Balaam namque Numer. 24. 4. eadem prorsus appellatio tribuitur , quem Gigantem nemo dixit , magum autem , & ariolum fuisse apertissimè constat . Notandum hic censeo in apocrypho Enochi libro , cujus fragmenta Georgius Syncellus p. 12. servavit , inter Εὑφροσύνης , sive *mulierosę* An-

Angelos , qui ante diluvium homines  
artibus instituisse dicuntur , Pharma-  
cum quemdam recenseri , qui docuit  
veneficia , incantationes , & incanta-  
tionum remedia . Si hæc essent fide  
digna , satis constaret de magia Ante-  
diluviana , indeque de causa our *ba-*  
*gbiborim* seu *potentes* nuncuparentur Gi-  
gantes .



## §. IX.

*Primi edocuerunt Cabiri in Græcia,  
& alibi Deorum Cultus, ac  
mysteria. Ubi prius ea docue-  
runt?*

**A**C ne alienum quidem esset ad sen-  
tentiam meam probandam com-  
memorare, quod *Cabiri* Deorum, seu  
Dæmonum cultum docuerint homines,  
quibusve cogerentur, quibus gauderent,  
quibus illigarentur, & quæ illis offe-  
renda essent, quales quoque simula-  
chrorum figuræ esse deberent; Unde  
namque quam à Magicæ Artis invento-  
re Dæmone, vel homine perito hæc  
Alii discere potuissent? Ex primis igitur  
eos extitisse, qui in Græcia, &  
alibi Deorum cultum Gentes docuerint,  
apud Orpheum notatur, qui cecinit:

Τῶν μὲν Ἐ Τελειῶν πρῶτοι μερόπιστα ἔδει-  
ξε, ἀθάνατοι Κερῆτες &c.

hoc

hoc est : Vos & primi mysteria Gentes edocuiſtis immortales Curetes , &c.

hæc vero eadem fuiſſe , ac Cereris mysteria ritibus ex Ægypto translatis , non contemnendam nobis rationem Pausanias miniſtrat in Bœoticis , cum prodiſt quemdam Lucum Cereris cognomento *Cabiriæ* , a Dirce quinque ferme , & viginti ſtadiis diſtaſſe . Ab eo namque *Cabiriam* dictam Cererem apparet , quod Religionem ejus , *Cabiri* illuc loci tranſtulerint , vel quod Fanum illi ſuo nomine ſacrarint , uti Venerem *Καλλίπυρον* Syracuſis , quod ipſi Puellæ quædam , *Καλλίπυρος* a pulchris natibus nuncupatæ ædem conſtruxiſſent , referente Atheno in fine lib.12. , & Jovem *Atabyrium* *Laprium* , *Molionem* &c. ut ait Lactantius l. 1. cap. 22. de falſa Religione , ab Atabyro , Laprio , Molione &c. qui Jovi ædes dedicarunt , proprio nomine , ut ſe quoque perpetuos facerent , cum religione illud conjungentes . Cum tamen Cretenſes Jovis incunabula jaçent , & uti videre eſt apud Diodorum

1. 5. divinos honores, & mysteriorum ritus ex Creta ad homines alios, Græcos nempe pervenisse, non absimile est, quod Cretenſes Græcorum primi a *Cabiris* Deorum cultum, ac mysteriorum ritus didicerint. Et sane ut Marſhamus ad ſæculum x. arguit, myſteria Jovis in Creta edita fuere priùs, quam Cereris in Eleuſine. Sed quod antea Samothraciam appulerint, ibique docuerint initiationes, & myſteria volunt quidam apud Diodorum de fabuloſis Antiquor. geſtis lib. 6. Hinc in Rhodum, ubi ex fabula de Neptuno a *Telchinibus* educato, ſacra illos inibi Neptuno inſtituiſſe conjeſto, forte ut in alia loca immigrarunt. Inde eſt, quod Orat. 3. contra Jul. Gregorius Nazianzenus exiſtimat Religionem à Thracibus derivatam, & *ὑποτάξιν*, hoc eſt *Deo ſervire*, *παρὰ τῶν ὑποτάξιν* deduci. Ex iis, quæ de Curetibus ait Iſtrus in collectione Creticorum Sacrificiorum apud Porphyrium libr. 2. *πρὸς τῆς ἀποχῆς ἐπιτομῆς*, de abſtinentia ab animatis, pa-



patet illos quoque feralem sacrificandi ritum *Pseudo-Dionysii* in Græciam transtulisse ; Deorum nempe altaria , quorum cultum instituebant , puerorum cruore polluentes.

## §. X.

*Cabiro ut Deos habitos asseritur.*

*Hujusce eorum venerationis ratio . Varia inde illos sortitos esse nomina ostenditur , ex varietate locorum , in quibus degebant , aut colebantur , ut Dactylorum , Curetum , Anactum , &c.*

**Q**Uod ut Dj & ipsi venerati fuerint , ex eo arguere licet , quod alibi quoque locorum Magorum plurimos consecratos fuisse a Gentibus comperiamus , uti Zoroaster a Persis , de quo in hunc modum scribit Grego-

rius Turroneſis : *Primogenitus* ( Noachi ) *Cbam Cbus* ; hic fuit totius *Artis Magicæ* innuente *Diabolo* , & primus *Idolatriæ Inventor* , hic primus *ſtatunculam adorandam Diaboli inſtigatiōe conſtituit* , qui & *ſtellas* , & *ignem de Cælo cadere* falſa virtute hominibus oſtendebat . Hic ad *Perſas tranſiit* ; Hunc *Perſæ vocitavere Zoroaſtrem* , ideſt *viventem Stellam* . Ab hoc enim *ignem adorare conſueti* , ipſum *divinitus igne conſumptum ut Deum colunt* ; lib. 1. Hiſt. Franc. c. 5. Apud *Locenium* quoque *Antiquit. Sveo-Goth. cap 3.* & apud *Ericum Upſal. l. 1. Hiſtor. Sves.* legimus *Odinum* , & *Frejam uxorem ejus* a *Populis Aquilonaribus* *magica ea ſtupentibus* , quæ perpetrabant , fuiſſe ſuperſtitioſè *divino donatos cultu* . Quid *Olaus Vvormius* in hanc rem dixerit , diligenter attendamus . Ille *Mon. Dan. l. 1. cap. 4.* hæc habet ex *Saxone Gram.* *Olim quidam Magicæ Artis imbuti Tbor videlicet* , & *Otbinus* , *Aliique complures miranda præſtigiorum Machinatione callentes* , *obtentis ſimplicium animis divinitatis faſtigium*

gium sibi arrogare ceperunt. Quippe Norvegiam, Sueciam, & Daniam vanissime credulitatis laqueis circumventis, ad cultum sibi pendendi studium concitantes, præcipuo suæ ludificationis contagio resperferunt. Adeo namque fallaciæ eorum effectus percrebuit, ut in ipsis cæteri quamdam Numinum potentiam venerantes, veneficiorum solemnia vota dependerent, & errori sacrilego respectum Sacris debitum exhiberent &c. Ex varietate tamen locorum in quibus illi degebant, vel colebantur, diversa eos nomina sortitos opinor. *Dactylæ* namque, seu *Digiti Idæi* potius, ut apud Cic. de natura Deorum ex veteribus libris eruditissimi Viri scriptum esse observarunt, teste Salmasio in Solinum, ex eo dicti, vel quod in Ida Phrygiæ montæ habitarent, vel quod inibi eadem sibi sacram habuerint, & loci illius tanquam Dj colerentur indigetes; Aut melius quod primi fuerint Cretæ ad montem Idam Incolæ, Ibique religionis initia statuentes mysteria Jovialia Creten- ses docuerint, unde tabellæ Origo de Jove

- Jove ab *Idæis Dactylis*, seu *Cabiris* enutrito. *Curetes* unde dicti non constat, cujus causa est, ut ait Strabo lib. 10. quod triplices essent *Curetes* *Ætolici*, *Phrygii*, & *Cretici*. Ego tamen ut *Ætolicos*, qui *Chalcidem* inhabitaverunt, dictos esse ἀπό τῆς χερᾶς, hoc est a *Tonjura* censerem, quod fortè *Chalcidem* & ipsi aliquando incoluerint, *Ætholicorum* autem moribus se accomodarint, nomenque retinuerint inde deductum. *Anactum* denominationem ex *Inacho*, cujus nihil vetustius in Græcia sortitos esse opinatur Tanaquillus Faber Vir Doctissimus in notis ad Bibliothecam Apollodori: *Originis externæ*, inquit, fuisse *Inachum* vel ipsum per se nomen satis indicat; neque enim *Inachus* aliud fuit, quam *Anach*, seu *Enach*, unde Ἀναξ, & Ἀναξ in veteri Græcia; quæ vox, ut è Poetarum scriptis certum est, Deum, & Deos significavit. De nominis ethymologia plura habet in suo Compendio Historiæ Universalis Epochæ 3. Jo: Clericus a Bocharto Chan. l. 1. c. 1. mutata, quæ hic  
loci

loci non referuntur , quodd jam supradicta nobis magis arrideant , *Anaëſtum* ſcilicet nomen ἀπὸ τῆ ἀναχῶς ἔχειν deductum eſſe , vanumque videatur negotium derivare illud aliunde , & ejus notitiā originis , quam Græca ſuppeditat , ab externa lingua emendicare . Ἀναεſτες igitur quaſi Præſides vocabantur ex eo quodd immunitatem a terroribus , perpetuamque ſecuritatem iis , qui eorum ſacris initiabantur , præſtaſſe crederentur . Atque hoc eſt , quod Apollonius dicit , Argonautas Orphei præcepto ad Inſulam Electræ ( ſic Samothraces Inſula vocabatur ) adnavigaſſe , ut diſcentes inviolabiles initiorum leges , tutiores , incolu- mioresque deinde mare pernavigarent . Quare *Corybantes* nuncupati fuerint , cum jam ſupra viſum ſit , repetere vanum eſſe putamus .

## §. XL

**C**abirorum appellationis origo in-  
 quiritur . *Hornii sententia refer-*  
*tur , non probatur .* Ἀπὸ τῆς  
*Chaber Hebræorum , quod In-*  
*cantator interpretatur , ejus de-*  
*rivatio asseritur .*

**D**E *Cabirorum* appellationis origine  
 apta quedam , ut arbitror ad id  
 quod requirimus , & quæ aliis dicta non  
 sunt , mihi referenda videntur , missis  
 tamen multis quæ plerique opinati sunt,  
 ut Bochartus , Huetius &c. quæve si  
 brevitati consulamus, enumerandi tem-  
 pus non est . *Hornium* quondam se-  
 quutus ἀπὸ τῆς *Gbiborim* Hebræorum ,  
 quod *potentes* significat , *Cabirorum* appel-  
 lationem deduxeram ; quippè qui *Ἱεροὶ*  
*Ἰωωατοὶ* in Samothrace , *ἱερωατοὶ* apud  
*Orpheum* , & *divipotes* in Augurum li-  
 bris

bris denominarentur, Eos vero Genes. 6. v. 4. ita Moyses vocaverit, qui potentia, & honore ubique Terrarum celeberrimi essent: *Hagbiborim ascèt mebolàm anscè bascèm &c.* quę ita reddit Vulgata: *ii sunt Potentes a sæculo Viri famosi &c.* ut & Nemrod cap. 10. vers. 8. Porro *Cbus genuit Nemrod; ipse cepit esse Gbibror*, idest *potens in Terra &c.* In hanc autem veneram opinionem, quod non inusitatum noverim *Gbimel* Hebręorum in *Kappa* Gręcis mutari, uti a *Gamal* seu Syro *Gamala* suum ipsi *Κάμινλον*, Latini *Camellum* fecere. Modo tamen ubi eorundem Hebręorum *τὸ Cbabār* recordatus sum, licet hanc haud sciam an Alii sint probaturi sententiam, dicere non dubito quod sentio, a *Cbober* scilicet, quod *incantator* Interpretatur, ortum habuisse *Cabirorum* nomen. Locus est Deuteronomii 18. 11. *Vecbober, Cba-ber*, quod vertit Vulgata *Incantator*, hancque versionem confirmant Septuaginta: *Φαρμακὸς ἐπαοιδῶν ἐπαοιδῶν*, *Veneficus incantans incantationes*. Et recte; In-

Incantatores enim , ut Martinus Del-  
rius D. M. lib. 4. cap. 2. q. 7. section. 3. a  
*Cbabâr* quod significat *se sociare* , Genes.  
14. 3. *Omnes ii Cbabôru* , idest *convene-*  
*runt* , *sociaverunt se in valle sylvestri &c.*  
vocantur *Cbabarim* , quasi *socii* , nempe  
Dæmonum , quibus se pacto , seu fœ-  
dere inito junguntur . Magos au-  
tem , & Incantatores extitisse *Cabiro*s  
probatum est ; Ni potius dicamus ex  
eo sic dictos , quod se improbando fa-  
ctu Djs suis , ut & Chami Posteritas ,  
se sociarint , ac imperitioribus persua-  
dere nisi sint , se Deos extitisse , qui  
humana incederent in Terris forma . Et  
licet *ro Cbetb* in C. nunquam a Latinis  
immutandum contendat , quod litte-  
ræ unius organi in alterius organi lit-  
teras mutari non soleant , & C. *rp*  
*Kapb* respondeat , quod alterius est or-  
gani ac *ro Cbetb* ; nihilominus quum  
mutatum legerim *ro Cbetb* in G. ut  
quod *Cbelbanda* Hebræis *Galbanum* dictum  
Latinis , *ro Cbetb* autem ejusdem orga-  
ni non sit ac *ro Gbimel* G. Latinorum  
re.



respondens, planè censeo, quod Latini minimè valentes τὸ *Geth* spiritum nimis densum exprimere, pro *Cabiros Gabiros* dixerint, indeque cum Antiquis C. & G. indifferenter usurparentur, ut notarunt Grammatici, *Cabiros*, leni non aspera pronuntiatione vocarint, qui *Ghabiri*, seu *Cbabiri* dicendi fuissent. Hujusmodi autem assertionem etiam apud Græcos nullus improbabit, ubi attenderint, quòd Venus Saracenorum, quæ *χαβάρ* Euthymio Zigabeno in *Panoplia* vocatur, a Georgio Cedreno in *Chronicis*, quo loco vitam Muhamedis describit *Κυβάρ*, τῇ X. in K. imutato, appellata sit.

## §. XII.

*Mysterium Cabi-  
rorum quale fue-  
rit , ac eorum sacris Initiatio ?  
Ea non aliud , quam Thurgie  
Disciplina . Probatio asseri va-  
rie tentatur .*

**V**Ideamus nunc quæ ad eorum my-  
steria , sacrive initiationem atti-  
nere possint . Mysteria apud nos appel-  
lantur , quæ in maximis festis peragun-  
tur , & eorum quantum licet cum me-  
tu , ac reverentia explicatio , quia hæc  
mystica sunt , nec apud Vulgusefferen-  
da , & quia ab his quibus hæc tradun-  
tur , danda sit opera , ut sensus suos  
velut claudentes , ac supra omnes res  
corporeas rerum species attingentes , su-  
pernas illuminationes excipiant ; sed  
apud Gentes ea mysteria videntur ap-  
pellata , quæ in festis apud ipsas perage-  
ban-

banantur, eorumque explicationes ob  
 turpitudinem qua scatebant, & quia  
 lege cautum erat, ne quis hæc nisi iis,  
 qui horum fœditatis, & contumeliæ  
 participes extitissent, patefaceret, ut  
 ait ad Orat. 3. Nazianzeni adversus Jul.  
 Elias. *Mysterium igitur Cabiricum*,  
 quod tantopere arcanum esse voluere,  
 præter Clem. Alex. loco citato, & Eu-  
 sebiū l. 2. cap. 5. Arnobius parricidium  
 esse prodit lib. 5. *Oblivioni etiam Coryban-*  
*tia sacra donentur, in quibus sanctum il-*  
*lud mysterium traditur: Frater trucidatur*  
*a fratribus*; Ideoque eorum Sacerdotes  
 apium cum totis radicibus prohibebant  
 in mensis apponi, putantes ex *Coryban-*  
*tico*, qui fluxit sanguine ortum habuisse:  
 cædis quoque rei ad hos confugie-  
 bant, ut lustrarentur, teste Hesychio:  
 ἱερεὺς Κασιέπων ὁ καὶ Σαίπων πορῖς, *Sacerdos*  
*Cabirorum homicidam lustrans*. Hæc quo-  
 ad mysterium delibasse sit satis; quod  
 enim de *Cabiris* loqueretur Arnobius,  
 ea, quæ habet citatus Clem. Alex. evin-  
 cunt; *Cabiros autem cum Corybantas ap-*  
 pellant

E

pellant

pellant mortem quoque Cabiricam annunciant &c. Quoad initiationem Robinsonus lib. 5. Annal. Mundi §. 47. ex Plat. Eutydyd. notavit mysteriis initiandos Cabirorum, collocatos in folio, aliis interea mystis agitantibus in circulo Chiores, ac ejusmodi ritum θρονισμόν, & θρόνον dictum fuisse. De hisce initiationibus intellexit Dion Chrysostomus cum dixit Orat. 12. καθάπερ εἰώθασιν ἐν τῷ καλαμῷ θρονισμόν καθίσαντες τὰς μυσμύς οἱ τελοῦντες κύκλῳ περιχορεύειν. Hujusce autem collocationis in folio ritum ab Orpheo, seu Nicia Eleate, ut alii volunt, descriptum, & Poëma θρονισμὸς inscriptum nomine, ait Svidas in Ὀρφεύς, ubi ejus opera recenset. Eisdem quoque fascia purpurea ventrem circumligasse prodit Scoliaſtes Apollonii l. 1. ubi de his mysteriis agit: περὶ τὴν κοιλίαν οἱ μεμνημένοι ταυρίας ἄπτησι πορφύρας. Additque Proclus in Plat. de Rep. caput oleæ germine coronasse. Quum tamen inter initiorum cæremonias, quam maximè necessariæ haberentur ex veterum

rum consuetudine lustrationes , uti earum primam , cædis scilicet expiationem in usu habitam fuisse testatur Hesychius citatus , ita & alteram servatam conjecto , purificationem nempe , quæ cum incantationibus , salibus , hordeo , Lauro , mari & transitione per ignem fieri solebat , ut Procopius Gazæus ait in Deuteron. De purificationibus Græcanicis ; multa namque erat Religionum congruentia , & *Cabirorum* ut & aliorum Deorum mysteriis initiati iustiores , & sanctiores fieri putabantur. Quo errore occæcatos Jasonem , Orpheum , Herculem , Castorem , & Pollucem , & Heroum plerosque tradit Diodorus l. 5. Imo & Alexandri parentem Philippum una cum Olympiade in Samothracia sacris *Cabirorum* initiatum legitur apud Plutarchum in Alex. quo nomine apud Q. Curtium lib. 8. ab ipso carpitur Alexandro , sive quoddam opportunum rei gerendæ tempus inanis Religio abstulisset , sive quoddam ea ætate hæc otiosus egisset , qua maximas ipse

res in Asia gesserat , ut notavit in eundem Q. Curtii locum Cl. Michael le Tellier. Pueros quoque more Atheniensium a certo tempore initiatos in Samothracia notavit ex Apollodoro Donatus in ea Terentii act. 1. sc. 1. Phormionis :

*Ferietur alio munere , ubi Hera pepererit :*

*Porro autem alio, ubi erit Puero natalis dies :*

*Ubi initiabunt , &c.*

Cæterum quoad ea , quæ dixi superius , initiationem hanc nihil aliud quam meram Thurgiæ disciplinam fuisse , vel ex eo constaret , quod initiandi fortè in caliginosum illud Antrum *Zerintbum* nomine descenderent , sacrum *Cabiris* , uti & de Pythagoræ sacris Jovialibus in Creta initiato traditur in ejus vita a Porphyrio : eum nempe *in antrum Idaeum descendisse Jovi sacrum* , εἰς δὲ τὸ Ἰδαίων καλόμενον αὐτὸν καταβὰς , &c. vel ex eo quod Apulejus l. 2. *Metam.* propè finem de seipso initiato scribat : *Accessi Consilium mortis , & calcato Proserpinæ limine per omnia vectus elementa remeavi , Deos inferos , & superos accessi coram , & adoravi*

ravi de proximo : Nocte media vidi solem ,  
 &c. Accedit , quod sine incantationibus  
 formarumque monstrosarum , atque  
 terribilium ea , ut Clemens Alex. in  
 Protreptico inquit , non operaren-  
 tur. Item quod ab initiatis deinceps ce-  
 lebrarentur sacra quædam , quæ ἀλεξι-  
 φάρμακα κινδύων τινῶν dicebantur ; peri-  
 culis enim circumventi *Cabiros* ut sibi  
 adpärerent , & adessent adjutores , in-  
 vocabant . Imo Plutarchus in libello de  
 perfect. Virt. &c. prodit ad avverrucan-  
 dos terrores τῶν Ἰδαίων δακτύλων , *Idæo-  
 rum Daetylorum* , seu *Cabirorum* sola no-  
 mina singillatim recitasse nonnullos , de  
 quo vid. Calcagninus Dialog *Equitatio*.  
 Idèd ab Orpheo , quem Samothraciis  
 religionibus imbutum diximus , fingitur  
 Euridicem ex inferis revocatam , quòd  
 de vita periclitantem incantationibus ,  
 quas noverat , hanc ille revocaverit ad  
 vitam , ut probat Tzetzèz Chil. 1. hist.  
 54. v. 852. Quæ omnia Thurgiam sa-  
 piunt , & Δαιμονοθύταις familiaria esse  
 non ignoramus . Huc spectare videtur

quoque illud Lucretii lib. 6. de natura Rerum,

— *Etiā Samothracia ferrea vidī &c.* Quæ rejectis Grammaticorum sententiis non de ferreis Samothracum Idolis Turnebus Advers. l. 20. cap. 2. interpretatur, sed de annulis aureis quibusdam, at ferreis dictis, quod iis ferrum esset loco gemmæ, ut ait Plinius l. 33. cap. 1. Et Isidorus l. 9. c. 13. Audiamus ea, quæ de quodam spiritu aquatico *Neccer* nomine refert Loccenius Antiq. Sveo-Goth. cap. 3. *Hunc*, ait ille, *ex prisca superstitione Vulgus rude*, Svecorum scilicet, *ad huc metuit*, & *natantes ab eo sibi cavere*, atque *frustulo Cbalybis se contra eum præmunire monet &c.* Sed Samothracum sacris imbutos a naufragiis fuisse prorsus immunes tradunt Antiqui; eos itaque hujuscemodi annulis ad tempestatum evitanda pericula, uti & Svecos ex Magorum suorum disciplina, & veteri consuetudine, *frustulo Cbalybis contra Neccer*, superstitiosè usos esse probabile censeo. Vide quæ de hisce annulis ha-



habet Pineda in Comment. ad Stephanum de Urbibus in verbo *Samotbrace*. Dici posset ejus generis eos fuisse, cujus & illi fuere, quos Jarchas Brachmanus tradidit Apollonio T'yanèo, ut ait Philostratus lib. 3. cap. 13. magicos nempe, & certa cœli constitutione fabricatos, rituque sacratos magico, ad mare aliquamdiu tranquillum efficiendum, ventosque sedandos, uti & Talismanicas imagines, quas sub signo Piscium confectas, & in Navium proris constitutas Gaffarellus Curiosit. inaud. cap. 6. num. 5. id potuisse præstare notavit, nodosque trinos Finorum, & Lapponum, de quibus Olaus Magnus lib. 3. cap. 6. miranda recenset. Hac occasione referre placet quæ Jonas Arngrimus Crymogæ suæ libr. 1. cap. 7. apud Olaum Vvormium narrat, in arca scilicet Deorum septentrionalium annulum asservatum argenteum, vel ex orichalco unc. XX.; quem forensi aliquo munere fungentes, jusjurandum jam præstituri, vi-

ctimarum illinitum cruore religiosè  
inter Jurandum contrectabant . Num  
ad hunc usum , vel similem potius  
*Annuli ferrei* Samothracum essent in-  
venti , Alii dispiciant ; satis ea sunt ,  
quæ mihi in re tam obscura divinare ne-  
gotium fuit .



## §. XIII.

*Quo ritu Cabiris sacra fierent, & quando? Eorum Sacerdos Koès appellatus.*

**Q**uemadmodum, & quo ritu sacra ipsis *Cabiris* peragerentur difficile est in tanta temporum vetustate, & scriptorum religioso silentio aperire. Quare mihi a curiosis esto venia, si quæ nesciantur non exquirens, hoc tantum notaverim, digna certè fuisse tenebris, cum nocte fierent, ut ait Cicer. lib. 2. de Natura Deorum, ideoque non minus ac Eleusinia probri, ac dedecoris plena. Quod quidè ex iis, quæ duo *Cabiri* fratricidæ colenda *Tυρρηνοῖς* *Hetruscis* commendarunt, cista nempe, & Dionysii fratris interempti imposito in ea puendo, ut ait Clem. Alex. in Protrept. quam benè probari posset, ut &  
ex

ex iis , quæ de statuis erecta virilia .  
 habentibus in Samothraciæ mysteriis  
 sacro sermone declarabantur , ut scri-  
 bit Herodotus lib. 2. cap. 51. De eorum  
 Sacerdote hoc habemus ex Esychio  
*Koèn* appellatum fuisse : *Koîns* ἱερεὺς  
*Καβείρων* , *Koës* *Sacerdos Cabirotum* ; Ad  
 quæ Bochartus lib. 1. de Col. Phæn.  
*Koben* Ebraicè *Sacerdos* , *κοîns* unde  
 verbum *κοῖνᾶσαι* , quod idem est ac  
*ἐπαῖσαι* , idest *sacerdotio fungi* .



## §. XIV.

*Idola Cabirorum cur malleum gestarent ? In recentiorum sententiam non conceditur . Malleus loco sceptri Thorri Idolo Norvegico datus . Mallei Joviales , & eorum usus apud Septentrionales . Causa insigniendi mallei gestatione Cabiros aperitur . Subinde nova tentatur , non probatur perquisitio .*

**H**Ætenus *de Cabis* , de eorum numero , ætate , Religione , de appellationibus , consecratione , mysteriis , eorumque sacris Initiatione ; de Idolis nunc , ac de locis , ubi eorum sacra celebrata fuere , quædam adjicere placet , antequam ad finem deveniam . Et primò *cur malleum* Idola

la *Cabirorum* gestarent , ( quod difficile videtur ubi in recentiorum sententiam non concedamus ) rationem , qualicumque ea sit , non adeo improbandam produco . Notandum est igitur , *malleum* non fabris ferrariis , & Vulcano tantum , uti ex nummis apparet , sed aliis quoque præ Fabris & Vulcano gestatum esse ; refert siquidem Olaus Wormius Mon. Dan. lib. i. cap. 4. ex Olai Crassi Historia , statuam *Tborri* , quam cum sociis venerabatur Dala Gultrandus , sceptri loco *malleum* manibus tenuisse . Huic autem Idolo *malleum* sceptri loco ideo fortè datum fuisse dicerem , quod inusitati ponderis *malleos* , quos *Joviales* vocabant , ingenti ære complexos , magnaque cultos religione ad eum usum septentrionales habuerint , ut per eos tanquam per *Claudiana tonitrua* , & per usitatam rerum similitudinem Cæli fragores , ( quos *malleis cieri credebant* ) exprimerent , tantique sonitus vim ( Olai Magni Hist. sept. l. 3. cap. 8. verba sunt ) *fabrilium specie imi-*

imitantes , Deorum suorum bellis sic adesse religiosum existimarent , ac ipsis opem ferre , quos concitato in nubibus fragore ab aliis oppugnari putabant , &c. Ac is quidem Jovialium Malleorum usus usque ad An. a Christo nato 1030. docente Olao Magno perseverabat , cum Magnus Gothorum Rex Christianæ disciplinæ studio paganam superstitionem perosus , & Phanum cultu , & Tborum insignibus spoliare sanctitatis loco habuit . Modo res nostra ab hoc Jovialium malleorum usu lumen suum mutuetur . Eandem igitur asseram extitisse occasionem , & originem insigniendi mallei gestatione Cabirorum Idola . Quid enim ærea curetum arma , quid sonitus , ac strepitus percussionum , quidve Jovem à Saturni insidiis servatum esse dicemus ? Profectò tanta est rerum congruentia , ut nil aliud , quam Cabiros quoque , ubi Deorum , seu Demonum cultum in Græcia , & alibi docerent , eosdem prorsus ritus , & superstitiones easdem docuisse arguatur .

tur . Quæ verò ubi *Cabirorum* disciplina  
 sati acceperant , puerilibus fabulis ad  
 sua tempora , & coëvos sibi homines  
 accomodatis implicuerant , novaq; sem-  
 per , uti & in aliis , figmentorum ac-  
 cessione veritatem Poëtæ occultarunt ,  
 ut Gentibus sacrilegium tanquam sa-  
 crum aliquod venditarent . An colli-  
 maverim , videant alii . *Malleum* tortè  
 gestasse *Cabirorum* Idola , ut & Idolum  
*Vulcani* videbatur , quod ut huic ad-  
 eris , ferrique fabricam , ita illis ad si-  
 mulachrorum efformationem , non mi-  
 nus ac scalprum , *malleus* quoque adhi-  
 beretur ; statuarii namque , ut etiam  
 notavit Bullengerus de Pictura , & Sta-  
 tuaria l. 2. c. 13. ubi de ferramentis scul-  
 ptoriis agit , in primis utuntur *marculo* ,  
*sen tudito* , & *Malleo ferreo* , qui nun-  
 quam sex pondo excedit &c. *Telebines* au-  
 tem , quos eosdem cum *Cabiris* fuisse  
 innuimus supra , sculptores , atque sta-  
 tuarios fuisse , primosque *Rhodi* simu-  
 lachra Deorum confabricasse , & que-  
 dam antiqua signa eorum nomine fuisse  
 ap-



appellata, ut apud Lydios Apollinem *Telcbinium*, Junonem ac Nymphas *Telcbinias* apud Alysios, Diodorus de fabulosis Antiq. gestis l. 6. commemorat; cum prius saxa Græci venerarentur, ut de Hercule in Hyetto Bœotiorum, & de Cupidine apud Thespientes refert Pausanias lib. 9. de Junone Argiva, & Apolline in Delphis, ac de Baccho Thebano ex veteribus Poëtis habet Clemens Alex. Strom. l. 2. quæ simulachra more prisco ἀγροὶ λυδοί, *rudēs lapides* extitere. Sed non etiam Olaum Vvormium de Thorri Idolo, nec Olaum magnam de malleorum *Jovialium* usu apud Septentrionales inspexeram, quorum Scriptorum mihi Eruditiss. Vir Apostolus Zenus, qui in Historia rerum Septentrionalium apprimè versatus est, copiam humaniter fecit.

## §. XV.

*Quibus in locis Cabiri culti fuerint, ac Tempia eorum nomini consecrata. Amasæus ex Fabretto notatus.*

**Q**Uoad loca, ubi *Dj Cabiri* cultum nacti fuerint, dicendum est. Et primò, in *Samothraces Insula* eorum sacra celebrata fuisse, ubi etiam Gentibus initiari mos erat, produnt Schollastes *Apollonii*, ac *Stesimbrotus Thasius* apud *Strab.* l. 10. Et sanè, ut *Diodorus* l. 5. mysteriorum ritus a *Jove Iasioni* filio olim fuisse traditos in ea Insula jactitarunt *Samothraces*, ante adventum *Cadmi*, qui ubi *Samothraciam* appulerit, perceptis mysteriis uxorem duxit *Harmoniam Iasionis* fororem. Abs re non erit inscriptionem *Beneventanam*, quæ pag. 172. refertur a *Reinesio*, hic transcribere, licet

licet ex imperiti , & audacis litteraturæ prophanæ ostentatoris officina eam esse dijudicet . Ea est :

PATRI. AMMONI. ET. HERCULI FRATRI. ET. MINERVÆ. PALLA DIÆ. ET. JOVI. OLYMPIO. ET SAMOTHRACIBUS. CABIRIS ET. INDICO. SOLI. ATQ. APOL LINI. DELPHICO
---

Tanta erat templi in quo inibi eadem hæc sacra celebrabantur , Religio , tantæque dignitatis , ut ex eo Cilices Piratæ decem aliquando talentorum milia abstulerint , si Eustathio credimus ad Dionys. Perieg. v. 874. Huc quoque spectat , quod Plutarchus in Marcellô inquit , *ab ipso nempe complura præter ea , quæ Romæ extant , Djs dedicata , statuasque , ac Tabulas ex iis , quas Syracusis detraxerat , in Samothracia positas ad Deos , quos Cabiros appellant . Quenam hæ fuerint positæ ad Cabiros Tabellæ ,*

F

Ci.

Cicero de natura Deorum lib. 3. apertissime indicasse videtur, ubi Diagore, cum in Samothraciam venisset, Amicum quemdam ea dixisse refert: Nonne animadvertitis ex tabellis pictis, quam multi votis vim tempestatis effugerint, in portumque salvi pervenerint? Quo in loco, ut Critici notant, de exiguis votivis tabulis intellexit, in quibus periculum, a quo quisque liberatus fuisset, describere, vel depingere solebat, votumque jam emissum persolvens, aris Deorum servatorum suspendere. Id his versibus docet Horatius l. 1. Od. 5.

— *Me tabula sacer*

*Votiva paries indicat vuida*

*Suspendisse potant*

*Vestimenta maris Deo.*

Prope Samothracem in Lemno, in qua Vulcani erat officina, Cebiri culti fuerunt; Strab. l. 10. ex Pherecyde, Deinde in Imbro, ut Stephanus verbo significat; Imbrus insula sacra Cebiris, &c. sed & in Troadis Urbibus sacra hisce Djs instituta fuisse ibidem tradidit Strabo,

bo,

bo . Item Thessalonicenses in Macedo-  
 nia ex nummis , quos post Seguinum  
 vulgavit Vaillantius Imp. Num. Græc.  
 pag. 91. 144. honorem peculiarem *Cabiris*  
 præstasse constat , immo & certamina  
 de eorum nomine *Cabiria* dicta cele-  
 brasse , ex nummo Gordiani Pii , cu-  
 jus in altera parte Urna , in qua pal-  
 mæ ramus cum epigraphe ΘΕΣΣΑΛΟ-  
 ΝΙΚΕΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΚΑΒΕΙΡΙΑ, *Thes-*  
*salonicensium Neocororum Cabiria* . Sed  
 hic notare liceat , quod unum ex *Ca-*  
*biris* , non *Cabiros* Thessalonicenses co-  
 luerint teste Lactantio l. 1. 15. de falsa  
 Religione , hicque , ut Julius Firmicus  
 de errore proph. Relig. cap. 12. ait , *fuit*  
*iste , qui a duobus aliis interemptus , ne*  
*quod indicium necem fratris aperiret , sub*  
*radicibus Montis Olympi consecratus est &c.*  
 ex quibus arguendum relinquo , an be-  
 nè senserit Vaillantius , cum dixerit  
 pag. 376. de Festis, & Certaminibus Ur-  
 bium &c. *summus eorum nummus* , *Thes-*  
*salonicensium scilicet , templum ex dua-*  
*bus columnis suffultum exhibet , in cujus*

aditu unus ex Cabiris stans , nam plures existimantur , nec de eorum numero apud Græcos Scriptores constat . Placuit nummi Eclypon curiosorum in gratiam adjungere .



Athenis quoque in Attica Cabirorum Religionem excultam fuisse patet ex monumento Græco §. 1. jam producto, quod Dionysii Archontis anno positum fuit , qui licet inter Archontes incerti temporis a Meursio lib. 4. cap. 10. de Arch. Ath. memoretur , nihilominus, quidquid dicant Diodorus, & Anonymus , Lyciscum nempe a Pythodoto exceptum , *μετὰ δὲ Λυκίσκου ἐστὶν Ἀρχὼν Πυθόδοτος* , cum jam constet Archontem fuisse , & ab illo exceptum Lyciscum ,

seum , vel inter Lyciscum & Pythodotum reponendus videtur , vel alium Lyciscum , cujus incertum sit tempus , ab eodem exceptum fuisse dicendum est . Sed revertamur ad nostra . Hanc quoque Religionem & Amphissenses in Locride habuisse deducitur , quòd initia quèdam illi celebrarent , quæ *Anactum puerorum* , ut vidimus , appellabantur ; *Anactes* pueros autem non alios quam *Cabiros* fuisse probatum est . Fuit solemnitas quædam apud Thebanos in Bœotia , quam *Cabirorum* vocat Pausanias in Messeniis , & Lycaon Pandionis Filium eis tradidisse refert , contra quos si aliquid unquam commissum fuit , id ira semper inexorabili vindicatum est , immo & templum quondam ingressi Macedones tanquam in Terra hostili , fulmine fuere , fulguribusque percussi . Apud Clitorios itidem ut idem Pausanias lib.8. erat Διοσκειρῶν καλεσμένων μεγάλων θεῶν ἱερὸν , *Dioscororum magnorum Deorum templum* . *Castorum* τὸ Διοσκειρῶν

vertit Amasæus ; sed, ut notavit Fabrettus V. Clariss., Clitorii Arcadicus Populus perpetua similitudine Laconibus oppositus, quod cultum ac templum Heroibus Spartanis tribuerint, parum verisimile habetur ; quare Deos hosce pro *Cabiris* accipere probabilius existimo ex iis, quæ supra : mecumque Vir doctus, atque in græca lingua peritus Antonius Caramaneus, cui jam id aperueram, ita facile sentit. Templum quondam *Cabirorum* Memphi in Ægypto vetustissimum fuisse narrat Herodotus l. 3. cap. 37. inaccessum alteri, quam Sacerdoti, donec Cambyzes ingressus simulachra concremavit *Ποδακταρταῖος*, in ea multa jocatus. Præterea Beryti in Phœnicia cultos fuisse prædicit Sanchoniaton apud Euseb. lib. 1. præp. Eu. *Βερύτιον δὲ Ποσειδῶνι, καὶ Καβείροις*, Berytum autem Neptune, & *Cabiris* &c. Num e Græcia Memphim, & Berytum *Cabirorum* cultus translatus fuerit, vel prius ipsi *Cabiri* templa in Ægypto sibi constituerint, ut  
& in



& in Phœnicia , aliisque in locis , videant curiosi ; satis sit adducere , quod in hujusmodi insolentiam venisse Jovem , cæterosque eorum , quos inter Deos reposuit Gentilium vana superstitio , Historia testetur , de quo Lactantius lib. i. de falsa Religione. Præterea *Cabitorum* appellatio , vanitatum magicarum , & supersticiosarum religionum doctrina , ex Ægypto potius in Græciam , ac alia loca fuisse illum translatum , evincit . De illorum cultu in Italia narrat Æneas apud Virgilium *Æneid.* 3.

— *Feror exul in altum*

*Cum sociis , natoque , Penatibus , & Magnis Djs.*

De quo videatur Dionysius Halic. Hist. l. i. ubi ait , quod Æneas cum simulachris magnorum Deorum ex Urbe per fugerit , eaque secum in Italiam deportarit . Adde quod de positis tribus Aris in Circo Romano trinis Djs magnis , potentibus , quos & Santothracas putabant , Tertullianus habet c. 8.

de spectac. Ab ipsis *Cabiris* hæc sacra fuisse quondam ad Tyrrhenos delata refert Clemens Alex. in Protrept. Indeque est, quod Myrtillus Lesbicus apud Dionysium libr. 1. ait, *Sterilitate laborantes Tyrrhenos proventuum omnium decimas Jovi, Apollini, & Cabiris vovisse*. Strabo l. 5. (quem etiam refert Illustrissimus ac Reverendiss. Philippus a Turre duobus ab hinc circiter annis Episcopalis Adriæ dignitatis, ac amplitudinis gradu, quo multo se ante dignissimum propria virtute præstiterat, condecoratus, Monum. Veteris Antii p. 1. c. 1. de inscriptione M. Aquilii) meminit delubri *Dioscûrum* in Colonia Antiæ collocati. Nùm *Cabirorum* delubrum id fuerit, Alii viderint.

## §. XVI.

*Certamina de nomine Cabirorum  
Cabiria dicta . Ubi instituta ,  
& qualia fuerint ?*

**P**AUCA quædam apponenda essent de  
Certaminibus , quæ de *Cabirorum*  
nomine *Cabiria* dicta , Theſſalonicæ  
verò , uti ex nummis adparet , pecu-  
liariter celebrata fuere ; Sed quum de  
his ne verbum quidem fecerit Meur-  
sius in ſua Græcia feriata , non Ho-  
ſpinianus in libro de feſtis ac Templis  
Gentilium , nec Vaillantius citatus ubi  
de feſtis , ac certaminibus Urbium diſ-  
ſerit , quid certi dicam ego , non ha-  
beo . Conjecturas meas attamen , pro-  
ferre liceat , ne jejuna ſit omnino lo-  
cus iſte . Non aliud igitur extiſſe con-  
jecto , quam Πυρρική , *ſaltationem* nem-  
pe *armatam* ( unde *Pyrrhicarii* , ſive  
*Purrhicarii* dicti ſunt ſaltatores armati,  
ut

ut author est Bud. in l. Athletas, ff. de iis qui not. infam; & in l. aut, ff. de poen.) & ἐνόπλιον, idest belligeros iusus in honorem Cabirorum instituta certamina; ea namque Thessalonicenses Curetibus, sed Cabiris grata credere poterant; quibus ut ait Nonnius l. 13. Dionysiac.

Οἷς βίος ἀκελάδων ξιφῶν κτύπος· οἷς τὶ  
 ἢ ρυθμῷ.

Κύκλα ποδῶν μεμέλητο, καὶ ἀσπιδόεσσα  
 χορεῖν.

Id. Quibus vita erat benesonantium gladio-  
 rum strepitus, quibus quodam rythmo  
 Circuli pedum cura erant; & scutata  
 chorea &c.

Et qui saltationem armatam, ut ait Dio-  
 nysius Antiquit. Rom. lib. 2. primi insti-  
 tuere; χερσὶν δὲ κίνησιν ἐνόπλιον αἱ πρῶ-  
 ται κατασκευάμεναι; & ut cecinit Orpheus  
 in hymnis,

Σκορπηταὶ Ἐρμῆς ἐνόπλια βύματα δο-  
 ται &c.

Id. Saltatores Curetēs Enoplios gradus po-  
 nentes &c.

Talia quoque certamina recenset Plato  
 de

de leg. lib. 7. apud Lacedæmones in Minervæ honorem celebrata fuisse, quod ipsa quoque ludis Choreæ delectata, non solis manibus ludendum censuerit, sed armis tota ornata saltandi officio perfuncta sit. Eorum qui *Cabiria* peragebant, gestamina eadem, ac illa Saliorum fuisse, qui a Tullo Hostilio post Numam instituti, Dionysius l. 2. commemorat; lanceam nempe, aut virgam, aut tale quid aliud, & Peltam Thraciam, quæ scuto virgato angustiores habenti laterum cavitates, similis erat. Saltationis quosdam fuisse Duces, qui & Choreas inciperent, & saltandi modulo præirent cæteris, innuit Homerus Iliad. ɔ. Clypeum Achilli a Vulcano donatum describens, in quo Chorum creticum ex Virginibus, & Juvenibus constantem celatum indicat, hisce verbis:

Πολλὸς δ' ἰμέρονται χορὸν περὶ σάδ' ὄμιλος,  
 Τερπόμενοι δοιῶ δὲ κυβισῆρε κατ' αὐτὰς,  
 Μολπῆς ἑξ ἄρχοντις ἰδίνανον κατὰ μίαντα,  
 &c.

Id.

*Id. Multa autem gratum Chorum circumsta-*  
*bat Turba,*

*Lætantes at duo saltatores , ( ejusmodi*  
*scilicet qui se in caput dejiciunt ) , ju-*  
*xta ipsos*

*Cantum incipientes circum agebant se in*  
*medios &c.*

Fuerunt & hujusmodi saltationes inter  
prolusiones castrensis , seu militaris di-  
sciplinæ cum apud Græcos , ut ait Pla-  
to l. 7. de leg. tum apud Romanos ,  
ut refert Spartianus cap. 9. in Hadriano ,  
& Ammianus Marc. l. 16. de Juliano .  
Hisce consona , quæ de saltu inter mi-  
litares Romanorum exercitationes re-  
fert haud uno loco Vegetius , & qui-  
dem l. 2. cap. 23. *saltus quoque , & ictus*  
*facere pariter adsuescant , insurgere tripu-*  
*dantes in clypeum , rursusque subsidere ,*  
*nunc gestiendo prevolare cum saltu , nunc*  
*cedentes in terga resilire &c.* Sed satis hu-  
cufque de *Cabiris* exercitationem meam  
protraxi , quam utinam , ubi ea lecta  
fuerit , ab eruditis Viris intelligam  
approbari . Eos tamen res ipsa abstru-  
sa,

sa , & propter silentium aut confusio-  
nem Scriptorum explicatu difficilis ,  
spem facit , æquiores mihi futuros , si  
minùs alicubi scopum attigisse videar .  
Inscriptionis reliqua , quæ differendo  
occasionem jam dedit , una cum notis  
ad varia latina nondum edita Monu-  
menta Aquileja , & Altino Venetias  
advecta , præter Græca non pauca ,  
quam primùm illustrata , ubi aliquid  
supererit otii , Deo favente proferam  
in apertum .

**F I N I S .**